

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Redditia Feriarvm Cerealivm MDCCXX. Otiiqve Scholastici  
Ratio**

**Vockerodt, Gottfried**

**[Gotha], [1720?]**

**VD18 13074849**

---

#### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


#### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201391](#)



179 C:8

Zus. 33

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25

15.

13.

REDDITA  
FERIARVM CEREALIVM  
CIC 15CC XX.  
OTHIQVE SCHOLASTICI  
RATIO.



Egotiosum in otio scholasticum Gothanum esse oportere, nec per ILLVSTRIS GYMNASII statuta fieri posse, vt omni opere litterario vacent feriata canicularium dierum interualla, quae docentibus per vices muneris vacationem tribuunt: atque adeo non transmittendam esse insignem anni partem sine liberali opere, & opportunitate, conatuque proficiendi, & progrediendi in bonaे mentis cultura, quotquot ipsi torpere noluerint, ILLVSTRIS scholae alumnis; nec parentibus vicinis, exterisque caussam esse euocandi suos tantisper, & subducendi scholis publicis, priuatisque, quae Gothae liberaliter aperiuntur per feriatam vulgo illam temporis intercaperdinem, publicatae anno superiore, sub initium, finemque feriarum, tabulae loquuntur. Patet ex iisdem, quibus negotiis cerealia otia potuerint distringere, qui tunc in vrbe morati sunt, & qualia discendi habuerint curricula. Amplificatoria haec non ita pridem effecit SERENISSIMI PATRIS PATRIAE singularis in Gothanam scholam prouidentia, & tanto PRINCIPE digna liberalitas, qua nouus Gallicaе linguae professor, solertissimus BARDINVS, studiorum caussa ad regiam FRIDERICIANAM confluentibus adolescentibus datus est, & suppeditata occasio, diebus etiam canicularibus incepit istius linguae exercitium persequendi; redditus autem est exoptatissimus litteraturae orientalis docto, clarissimus REICHARDVS, quem non piguit, strenue huius anni interuallo feriato, cum fratre ipsius doctissimo, & humanioris litteraturae callentissimo, dum liberalium artium magistro, desudare, in excitandis melioris notae auditorum studiis rectioribus, & seuerioris, sanctiorisque litteraturae cupidis praelegere sacrosanctum codicem Hebraice, & Syriace, & virtiusque linguae inculcare ratio-

nes

nes, legesque grammaticas, explanare Romanae, & Augustae historiae scriptores  
praecipuos, Velleium Paterculum, & Suetonium, confiendarumque epistolarum  
modum ostendere ex Ciceronis epistolis explicatis, & ex his feligere, quas imitari  
commode possent eloquentiae tyrones. Hoc pacto nulla rotius diei particula,  
nec vllus hebdomadis dies ingenii cultu vacauit, & expers mansit operis, exerci-  
tiique litterarii, vel sacri. Postquam inter sacra publica a summe reuerendi  
**NITSCHII** ore pependerunt scholastici nostri, potueruntque cum diuinis my-  
steriis percipere, & animo comprehendere illam vernaculi sermonis formam,  
propter cuius praestantiam, & admirationem publicata Gothani huius oratoris  
scripta ab exteris expetuntur certatim, non tantum sermonum publicorum ar-  
gumenta repetendi in panegyri scholastica, cui & per dies feriatos alternis praes-  
sunt publici magistri, & professores, datur occasio; sed etiam finitis sacris omni-  
bus prophetae minores cum similis argumenti particulis **NOVI TESTAMEN-**  
**TI** collati sunt, ad usum pietatis loca eorum extantiora designata, & interpretatio-  
ne accommodata, nec non conuenientibus hymnis religiose canendis illustrata.  
Non est hic dissimulandum, quo pacto denuo fuerint accensa scholasticae  
iuuentutis nostrae studia sanctiora, & inflammata Hebraicae litteraturae, quae ia-  
cere aliquandiu visa est, postliminio quasi cupiditas. Maxime reuerendus  
**SCHMIDIVS**, Berolinensis orator publicus, ciuis noster, & **ILLVSTRIS** Gymna-  
sii antidhac alumnus spectatissimae industriae, & probitatis, SVMME REVEREN-  
DI regii praefulsi aulici, IABLONSKI, opera, & studio adornatum in usum iu-  
uentutis codicem Hebraeum non dono solum dedit pluribus discipulis nostris; sed  
impertravit etiam, ut vili pretio a pauperculis redimi facile possint in posterum,  
quotquot expertentur, sacrosancti codicis exempla. Pro quo insigni beneficio  
venerando, nobilique pari virorum de sacris studiis optime meritorum, iuuen-  
tutis nostrae nomine, gratias, quas possum, ago maximas, ac, ut non pigeat bene-  
mereri in posterum, obseruantissime EOSDEM rogo. Ita, dum in plurimorum  
manibus est, & legi commode potest Hebraice tam copiose edita, & libera-  
liter pauperculis etiam suppeditata **SACRA SCRIPTVRA**, quotidie inde labo-  
rum, & operarum litterariarum capi potuit exordium; & hac ratione non longo  
temporis interhallo absoluere potui **PENTATEVCHVM**, & inchoare **IOSV-**  
**AM**: sicut in N.T. Graece, & Gallice legendō **MATTHAEVS**, & **MARCI** capita  
quatuor priora commodum primordium fuerunt operarum post meridiem agi-  
tandarum. Hae dum Ludolfino consilio, superiore anno publice laudato, pro  
adulto illustris scholae Gothanae ritu, sacris illis interdiu interpolantur auspiciis,  
non deesse potuit successus. Erectioris indolis, & propositi sanctioris adolescen-  
tes,

tes, ciues, vicini, exteri: qui tum pulchre distinguuntur, & internoscuntur a ceteris, dum discere gestiunt, cum discendi necessitas nemini imponitur, & concessio otio quisque impune abuti potest ad libidinem, & voluptatem vulgo excusatam, & laxamenti honesti nomine donatam: vix dici potest, quam ante, & post publicas operas, quas obeunt alternis supremi ordinis magistri, frequentes, promti, & constantes ad priuatum auditorium meum concurrerint, quam cupide audierint explanari Ciceronis paradoxa, & illustrati analysi philosophica, insigni sapientiae, & eloquentiae humanae adminiculo, nec contemnendo diauinorum oraculorum rite enarrandorum, & interpretandorum subsidio, nec non proponi ad imitandum, effingendumque seruata Latinae dictionis integritate, dignitate, & ordine moribus nostris conuenientes hortationes, damnantes maxime rectorum studiorum offensiones, & inuenilis licentiae friuola patrocinia, & falsa de rebus expetendis, fugiendisue vulgi iudicia. Nec perfunctorie interfuerunt post meridiem diligentiores, & hospitalibus non distracti officiis Iulii Caesaris bellis ciuilibus ex ipsius commentariis, & aliis Romanae historiae monumentis enarrandis, & illustrandis. Ne deesset seuerioris litteraturae temporexamentum, & laxamentum legitimum, tempori cereali non minus, quam difficilium ingenii aptum, fesso studiorum contentionе corpori opportunum, praelectis superiorе anno inter ferias scriptoribus de te rustica substitutus est ampraesentiarum insignis historiae naturalis autor, & explanator diligentissimus, Plinius. Non alio confilio de schola Gothana optime meritus B. Reyherus istius operis compendium, Solini polyhistorem, Gothae vulgari voluit, & emendate exscribi, quam ut in scholasticae iuuentutis manibus esset, quod eam reuocare posset a perditae vitae lenociniis, variis oblectamentis ludicris, & quamancipia Veneris, Bachique ferri solent, pereundi, perdendique se inuicem insania. Hac qui se Gothae auferri patiuntur, desperatae recordiae homunciones esse oportet, & a rectoribus studiis penitus abhorrentes. Etenim in Gothana aree, vrbe, tractuque suburbanо obuia dudum sunt, & FRIDERICOIANO principatu non ita pridem mirifice aucta, & multiplicata, quae animum, corpusque abunde reficere possunt, naturae, & artis opera varia, & admiranda, bibliotheca, pinacotheca, armamentarium, numophylacium, omnia vetusti, nouique operis artificiis resertissima, aedificiorum, hortorum, hydraulicorum operum, camporum, & syluarum amoenitates, quaeque in his inueniuntur, plantarum, lapidum, & fossiliuum genera diuersa. Certe inter saxa, quibus imposta est arx regia Irenopetracea, reperiri, & copiose colligi posse, ostraciten, lapidem similem descripto a Solino Hammonis cornu: qui lapis itz

torc

tortuosus & inflexus, ut effigiem cornu arietini reddat, huius autoris verbis de-  
scribitur: non est amplius orbi litterato obscurum, ex quo supetiore anno  
Romae vulgata est Appendix ad Metallothecam Vaticanam Michaelis Mercati,  
cum nouis in calce adiectis Gothanis iconibus cochlearum cornu Ammonis for-  
ma, opera, & studio archiatri pontificii, Ioannis Mariae Lancisi: cuius integra  
epistola ad summe reuerendum CYPRIANVM nostrum, eruditarum elegantia-  
rum arbitrum, & curatorem summum, Romæ XIII, Kal. Sept. MDCCXVIII.  
scripta simul exhibetur, qua autor suam obseruantiam SERENISSIMO PRIN-  
CIPI, PATRI PATRIAE nostro clementissimo, testificatur; polliceturque, edi-  
turum se vna omnes sibi missos Gotha figuratorum lapidum icones. Variae,  
admirabilisque figurae lapides interposita vicinis vicis, Ernesti, & Fridericiro-  
dae, montis, vulgo melis dicti, iuga curiosis investigatoribus offerunt; atque, ex  
radicibus iugi suburbani montis, qui a subiecto vico, vnde asurgit, Seberg di-  
citur, Paro marmori simile saxum effodi, & fabrefieri posse, templi Orphano-  
trophei ex hoc patriae lapide ergastulariorum opera fabrefacto extructa ara  
ostendit: nec, qui aram templi Reinhardisontani ornat, Iaspidem aliunde ar-  
cessitum; sed in patria inuentum, expolitumque, constat. Quanta, & quam  
beata copia præsto sit saxorum varii generis, vnde aedificia excitari, & coemen-  
ta, & teectoria parari commodissime possunt; & quanta SERENISSIMI PA-  
TRIS PATRIAE liberalitate tribuantur, qui suo sumtu voluerint effodere e vi-  
cinis tractibus, ideo tacitus praeterire non debui: quia publico hoc beneficio  
vñus breui tempore dudum destinata potui perficere, & excitare in prædio  
meo suburbano editam satis stationem contemplationi siderum, cui in vrbe  
multa obstant, editiora maxime regii castelli palatia, aptam, & necessariam.  
Terraæ filias copiosas patrias, exterisque horti PRINCIPALES, priuatique, &  
vicinae syluae: quia pascuae non sunt; sed caeduæ faltem: cumulatissime ex-  
hibitent. Quot exterae plantæ ad florem, fructumque, in his terris antea nec vi-  
sum, nec creditum, insignis artificis, Krickmayeri, cura, & solertia prouectæ sint,  
non sine voluptate toties spectarunt ciues, exterique. E squilla nasci rosam, vul-  
gati proverbio negari, constat; sed non ita pridem squilla marina pulchre efflo-  
rcere, & semina concipere hic visa est. Qui, quod alter orbis generat, & ex BONAE  
SPE! promontorio Belgicis hortis infertur, conductum Gothæ, & congregatum  
in unum locum, cumque non spaciore, quam vñus ex eadem statione con-  
spectus poscit; verbo, hortorum exoticorum compendium, miro ordine, & ar-  
tificio adornatum, velit inspectare, patebunt illustris, & excellentissimi consi-  
liarii intimi, AVEMANNI aedes, hortusque his subiectus. Neque enim libe-

ralissimis harum deliciarum dominus discendi cupidos cities, exterosque, excludi patitur vñquam, vt pote qui non solum haec admiranda naturae spectacula; sed rarissimam, quam possidet, partim a B. Ludolfo, socero, acceptam, partim suo sumtu, & solertia, cum in itineribus versaretur, redemptam, & collectam suppellectilem litterariam, antiquariam, & exoticam, non visendam solum; sed vñtendam benigne concedit, tanquam nihil ex tanto naturae, artis, & scientiarum apparatu priuatum, & suum sit, quam impendendus in eum excolendum, & conservandum sumtus, & sapientiae laus. Non desunt alii Gothae naturalis scientiae, apparatusque, vt & mathematicarum, mechanicarum, & pyrotechnicarum operarum duces, & magistri, si scholastica iuuentus sapere, & discere, quam otia, nugari, & ludere, maluerit. Ipse curatorum ILLVSTRIS GYMNASII senior, vir nobilissimus, consiliarius WEITZIVS, pro ea, qua pollet, rerum naturalium, & pyrotechnicarum summa, & in orbe litterario dudum decantata sapientia, tempestive appellatus aperiet ingenio singulari, & vsu longo cognita, & explorata naturae, & artis miracula: quorum specimen cum aucti ingenii, & solertiae haeres, nepos aliquis, SERENISSIMO HASSIAE LANDGRAVIO CASSEL-LANO, praecipuo nostri seculi mechanicorum ingeniorum, & operarum aestimatori, & fautori summo, exhibuisset, videlicet fabrefactum instrumentum vitreum, sine flamma, & oleo lucens, tanti PRINCIPIS gratiam, & approbationem industriae meruit: qui ipse discendi cupidis non denegabit spectaculum rei admirandae. Nec collega, alter ILLVSTRIS Gymnasi curator, CONSILARIUS BACHOVIVS, quam habet, rei botanicae notitiam, scholasticae iuuentuti denegauit vñquam; sed sylvas etiam vicinas visenibus praeceptoribus, & a lumnis ducem, cum sinerent doctissimi viri tempora, & negotia, se olim praebuit: qui certe adhuc domi semper sciscitantibus obuius, & promtus doctor iis scholasticis adolescentibus erit, qui terrae, & sylvarum, quam ciuium Gothorum malent noscere filias. Sane, hoc duce, & doctore, profiteor, singulare piantas me in hoc terrae tractu reperisse, quas alibi non videram, quamvis earum rerum non incuriosus. Bonum factum, quod non deest eius exemplo, & praecepto ad praecclare merendum de Gothorum studiis egregie institutus praeter filios, ingenios, & studiis florentissimos, nobilissimae vxoris frater, ILLVSTRIS litteratoris, & politici summi filius, nobilissimus medicinae doctor, IACOB-SIVS: qui cum naturalis scientiae professionem pro honoratioribus, quae a paterna fortuna poterat sperare, ministeriis amplexus est, non denegabit discendi cupidis, quae ingenii felicitate, & meditandi assiduitate, dudum sibi comparauit rei naturalis, & medicae singularem peritiam. Nec ipse deesse soleo, quem in te

ter reliqua officii munia his rebus esse intentum iubet constitutio ERNESTINA, reuocandis alumnis ab otio, nugis, & ludendi consuetudine ad noscenda siderum, lapidum, plantarum, & aliarum rerum naturalium nomina, indolem, vim, & salutares rebus humanis operas mechanicas. Plinium ideo cum Solino volui his diebus feriatis praeter alia eruditae vetustatis monumenta discentibus commendare, ut solidior, & vberior illis contingere possit talium rerum notitia, quam comitando eos per suburbia, campos, sylvas adhuc potui suppeditare, & editum in praediolo meo stabulum cum schemate siderum dudum ad hunc usum fabrefacto, ac his otii scholastici diebus rectius adornato, auctoque Doppelmayrianis tabulis, quas artificis non minus, quam autoris solertia, pictaeque in vacuis spatiis figurae OBSERVATORIUM celebriorum, Tychonici, Parisiensis, Heueliani, Noribergensis, Anglicani, Hafniensis, Cassellani, Berolinensis, cum suae cuiusque aetatis notatione commendant, nec non recipiendis rerum naturalium diuersis speciebus apta tabularia pollicentur in posterum. Interim dum Plinium exhibeo, deprehendo in eius limine non naturalis solum sapientiae; sed & boni moris doctorem; certe Graeculae varitatis osorem singularem eum fuisse, dignumque, cuius exemplum, & sanum, quod cadere potuit in diuinae lucis expertem hominem, de re litteraria yniuersa iudicium publice commendetur. Quod facere tanto minus pigere potuit, quo disertius id autor eruditarum ephemeridum, quae Histoire des ouurages des sc̄auants inscribuntur, dudum fecit. Ostendent itaque, qui dedicandas nouas operas scholasticas suscepserunt,

sub exemplo

## C. PLINII SECUNDI,

orator primus,

IOANNES RUDOLPHVS SCHMERBAVCH,

GREVSENSIS,

*rectam institutionem litteratoris, qui solide doctus  
velit celebrari:*

alter,

IOANNES SEBASTIANVS RANG,

GOTHANVS,

*cum copiosa doctrina pragmaticam sapientiam  
posse coniungi;*

ac

ac probabilem aequa Vespaſianis aulicū, ac magnū  
litteratorem fuisse Plinium:

postremus,  
**SVEDERVVS DIETERICVS SCHERTLING,**  
MAGDEBURGENSIS,  
necessarium esse bono, & genuino litteratori Graeculaz  
vanitatis odium, & fugam.

Quod dum  
erat, hora VII. ante meridiem, in auditorio CLASSIS I.  
quisque pro captu suo faciet,  
ut sua frequentia, & gratia ne deserant  
dicentes,

ILLVSTRIS GYMNASII  
**PATRONOS, ET FAVTORES,**  
per instituti solennia  
ea, qua pars est, obseruantia rogat  
RECTOR  
**GOTHOFREDVS VOCKERODT.**

---

PP. GOTHAE, D. XV. SEPT. CICCCXX.

---

ÆRE REYHERIANO

• S • S •

179 C:8

WOB

